

impartibilis essentia, qua Deus unus est, secundum S. Scripturas, Deut. 6. 4. Es. 43. 44. Marc. 12. 29. 1. Cor. 8. 4. 6. 1. Joh. 5. 7. Is in rerum à se conditarum compositionem nullo modo ingreditur, utpote rerum omnium quanta quanta illa sint efficiens, caelo excelsior, terra longior mensura ejus, & latior mari, Job. 11. 8. ut Spiritus Ioh. 4. 24. & quidem spiritualissimus. Hinc Aug. tom. 3. de Trin. l. 5. c. 2. Deum prae- dicat potentem, misericordem, magnum sine quantitate, bonum sine qualitate, creatorem sine situ, presidentem sine habitu, omnia continentem sine loco, ubiq; totum sine tempore.

XIII.

Unus ergo Deus omnibus numeris perfectissimus, sibi soli per omnia ^{divitibus} & principium universale omnium in alijs rebus omnibus perfectionum, cui si quid accederet, eo ipso quod accederet, principium esse desineret, unde esse non potest id quod non est, nec desinere esse id, quod est, ac proinde fons omnium bonorum inexhaustus, secundum unicam istam formam ac virtutem. In quo omnia bona infinites perfectiora & priora sunt, quam in alijs rebus, & quidem modo perfectissimo, quando quidem nullus effectus excedere potest virtutem suae causae; Quid ergo habes quod non accepisti, quis prior dedit illi & reddetur ei? omne sanè datum de sursum est, & guttatim ad nos stillat, sicut hujus specimen Deus in Sale locavit.

XIV.

Posteriore verò respectu, quo Relationem suscipit, ad existentiam Dei accedentem, tres numero Personas veneramus, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, inter se quidem distinctas, ne utquam tamen divisas vel dissimiles. Quod ut scite sic piè Greg. Nazianzenus in serm. de sac. Bapt. expressit hisce verbis: Unum inquit cogitare non possum, quin trium fulgore mox circumfundar, nec tria possum discernere, quin subito ad unum referar: Qui ergo, scribit Ignatius Epist. 9. ad Antioch. unum ac solum Deum annunciat, ita ut tollat (sc. ab hoc uno Deo) Christi Deitatem, Diabolus non Christianus est.

Ve-